Herrn Conrector A. Ph. Mar[illegible]
zu Ihren
Hochachtungsvoll
von
A. Ph. Münz

# SOLENNIA ANNIVERSARIA

IN

# GYMNASIO REGIO BARUTHINO

INDE A DIE XXI. M. AUGUSTI USQUE AD XXX

RITE CELEBRANDA

INDICIT

DR. J. C. HELD, RECTOR.

INEST

PROLEGOMENON IN PLUTARCHI VITAM TIMOLEONTIS CAPITIS SECUNDI PARS POSTERIOR CUM EPIMETRO.

BARUTHI MDCCCXXXVII.

TYPIS BIRNERIANIS.

1837

**D**iscedere non licet ab hoc loco, quin prius quae in appendice X ad Henr. Clintonis Fastos Hellenicos (pag. 282 ex interpr. lat. C. H. Krügeri) disseruntur de rerum a Timoleonte in Sicilia gestarum temporibus, et transcribamus huc et quam vera sint breviter disquiramus. Leguntur autem haec l. l.:

„Timoleontis expeditio secundum Plutarchum duodecim annis posterior fuit priore Dionysii exactione. Res a Timoleonte postquam advenerat gestas respiciens Mitfordus (Vol. VI. p. 263 annot.) haec disputat: Diodorus, inquit, ordine persequitur quae per duas aestates duasque hiemes acta sint, postquam Timoleon advenerat, quoad urbem arcemque occupavit; et Plutarchum vituperat, omnia quinquaginta diebus confecta esse tradentem. Recte improbat Plutarchi „quinquaginta dies.“ Sed quod duas hiemes dicit, harum ne vestigium quidem apud Diodorum exstat. Profecto tres archontas notavit: quorum primi anno Timoleon profectus est, secundi advenit, tertio denique archonte arcem cepit. Sed quoniam archontes media aestate magistratum inierunt, quae a vere ad auctumnum deinceps gesta sunt ab auctore duobus annis adscripta sunt. Pariter in Peloponnesiaco bello quae a vere ad auctumnum facta sunt, ad duos Atticos annos pertinent. Idem hac occasione in Diodori narratione deprehendere licet: Ἐπ' ἄρχοντος Εὐβούλου. — Τιμολέων ἐξέπλευσεν ἐκ Κορίνθου. — καταπλεύσαντος δὲ τοῦ στόλου εἰς τὸ Μεταπόντιον — ἐξέπλευσεν εὐθέως ἐκ τοῦ Μεταποντίου. — οὗτος μὲν οὖν κατὰ σπουδὴν ἐτέλει τὸν εἰς Ῥήγιον πλοῦν — καὶ καθωρμίσθη πλησίον τῆς πόλεως. ἐπικαταπλευσάντων δὲ τῶν Καρχηδονίων — ἔλαθε διαδρὰς — καὶ ταχέως ἐξέπλευσεν — εἰς τὸ Ταυρομένιον. — ἀναζεύξας δὲ ἐκ τοῦ Ταυρομενίου — ἀνελπίστως ἐπέθετο τοῖς περὶ τὸν Ἱκέταν — καὶ τῆς παρεμβολῆς ἐκράτησε. — παραχρῆμα δὲ ἐπὶ τὰς Συρακούσας ἀφώρμησεν. — Ἐπ' ἄρχοντος Λυκίσκου — Τιμολέων μὲν Ἀδρανίτας καὶ Τυνδαρίτας εἰς συμμαχίαν προσλαβόμενος στρατιώτας οὐκ ὀλίγους παρ' αὐτῶν παρέλαβεν. Ἐν δὲ ταῖς Συρακούσαις πολλὴ ταραχὴ κατεῖχε τὴν πόλιν κ. τ. λ. Hic hiemem discernimus, quae Lycisci archontis fuit 34$\frac{4}{3}$. Sed alteram indagare non possumus. Quae Timoleon gessit ad ver proximum pertinuerunt (343), etiamtum Lycisco archonte. Aestate Dionysius Corinthum decessit, quod scriptor Pythodoti archontis anno factum narrat. A profectione Timoleontis non multo amplius quam annum praeteriisse probabile est: ab extremo Eubuli mense (Maio 344) ad primum mensem Pythodoti (Jul. 343). De toto tempore quo Timoleon in Sicilia fuerit, Diodorus cum Plutarcho consentit. Phrynichi anno, 337 exeunte, mortuus satis accurate „non integris octo annis“ postquam in Siciliam venerit, Lycisci anno, 344, decessisse dici videtur. Revera septem annos et sex menses interfuisse statueris.“

His equidem non ab omni parte assentior. Primum enim immerito Plutarchus vituperatur propter „quinquaginta dies.“ Nam quum Diodorus referat post duas Hicetae clades totiusque urbis Syracusanae expugnationem tandem a Dionysio acropolin traditam esse Timoleonti, ea omnia si Plutarchus affirmasset intra tam breve temporis spatium transacta esse, nemo illud, puto, verum esse crederet. At longe alium Plutarchus statuens rerum ordinem, postquam priore pugna ad Adranum superatus esset Hicetas, prius quam iterum ille vinceretur ac tota Syracusarum urbs expugnaretur a Corinthiis,

arcem a Dionysio ait statim traditam esse Timoleonti, eamque expeditionis partem potuisse quinquaginta diebus perfici, id mihi quidem non videtur dubium esse.

Alterum, quod in Clintonis disputatione est improbandum, ad temporum pertinet computationem, qua id conatur efficere, ut ex Diodori ratione videatur ab Timoleontis profectione ad Dionysii exactionem non multo plus temporis interjectum fuisse, quam unius anni spatium. Quae quo rectius intelligantur, adscribamus Archontum Atheniensium atque annorum, quibus Diodorus res a Timoleonte priore post adventum tempore gestas descripsit, seriem.

| A. Chr. n. | Archontes. | Res gestae. |
|---|---|---|
| $34\frac{6}{5}$. | Archias. | Syracusani per legatos Corinthum missos imperatorem sibi petunt dari. |
| $34\frac{5}{4}$. | Eubulus. | Timoleon proficiscitur Corintho, venit in Siciliam, Hicetam opprimit ad Adranum, inde cursu celerrimo Syracusas properat atque etiam hostibus in fugam coniectis antevertens in urbem irrumpit. |
| $34\frac{4}{3}$. | Lyciscus. | Magna Syracusis rerum perturbatio, quum Dionysius Insulam obtineret, Hicetas Achradinam et Neapolin, Timoleon reliquas urbis partes, Carthaginiensium et classis 150 navium in magno portu esset, et pedestris exercitus L milia iuxta consedissent. Timoleon multarum civitatum societate et auxiliis Corintho missis firmatus, quum discessissent metu perculsi Carthaginienses, iis quoque potitur urbis partibus, quae adhuc in Hicetae fuerant potestate. |
| $34\frac{3}{2}$. | Pythodotus. | Timoleon Dionysio summopere perterrito persuadet, ut imperio se abdicet, arcem tradat, in Peloponnesum cum re familiari transvehatur. |

Jam ut Clintonis computatio recte habeat, qua Timoleon sumitur sub finem ejus anni, quo Eubulus Archon erat (mense Maio anni a Chr. n. 344) profectus esse Corintho, necesse est inter adventum legatorum Syracusanorum, qui Archia Archonte Corinthum venerunt, atque profectionem Timoleontis unius anni spatium interjectum fuisse. Quod cui credibile videatur esse? Rectius putamus Diodori explicari sententiam, si hanc constituerimus ex eius mente fuisse rerum seriem. Vere anni a. Chr. n. 445, Archonte Archia, Corinthum venerunt legati Syracusani. Eiusdem anni aestate, archonte Eubulo, in Siciliam traiecit Timoleon. Deinde Archontibus eodem Eubulo, et post eum Lycisco res supra commemoratae sunt gestae. Pythodoto Archonte in Peloponnesum dimissus est Dionysius. Qua ratione efficitur, ut, etiamsi statuamus extremo demum Archiae mense legatos Syracusanos venisse Corinthum, et primo statim Pythodoti mense imperio exutum esse Dionysium, tamen res a Diodoro expositae per tres paene aestates duasque hiemes actae sint.

Postremo quae de tempore, quod Timoleon in Sicilia transegerit, disputat, ea propterea non omnino vere sunt exposita, quia totum illud tempus non integrorum octo annorum fuisse asseverat; in quem errorem haud dubie inductus est Plutarchi verbis, quae leguntur cap. 37, 4. καθαρὰν δὲ τὴν Σικελίαν ἐν οὐδ' ὅλοις ἔτεσιν ὀκτὼ αἰδίων καὶ συνοίκων κακῶν καὶ νοσημάτων παραδοὺς τοῖς κατοικοῦσιν. Haec si ita dicta essent, ut respiceretur tempus, quo mortuus est Ti-

moleon, sane adversarentur rationi supra a nobis propositae. Nam diem obiit Timoleon archonte Phrynicho ($33\frac{7}{6}$ a Chr. n.), qui nonus archon est ab Eubulo. Itaque non integros octo annos si degit Timoleon in Sicilia, minus recte nos statuimus, ea illum aestate, qua Eubulus magistratum iniit, in Siciliam venisse. Quare verior possit videri Clintonis computatio, qui, quum Eubuli archontis extremo demum mense putet ad Siciliam appulisse Timoleontem, ab eo inde tempore usque ad Phrynichum archontem non integros numerat octo annos. At recte si intellexeris Plutarchi verba, non Clintoni ea, sed nobis favere luce clarius apparebit. Non enim scriptor octavo post adventum anno vita decessisse Timoleontem dixit, sed non integris octo annis res Siculas composuisse ac libertatem civitatibus Graecis restituisse, quo facto quia non statim mortuus est, sed aliquamdiu postea vixit, ab adventu eius usque ad mortem plenum octo annorum spatium, vel etiam paulo longius intercesserit necesse est, cui rerum necessitati nostra congruit temporum computatio, non Clintonis. Eidemque rationi plane consentit Diodorus, cuius haec sunt (XVI, 90): *Κατὰ δὲ τὴν Σικελίαν Τιμολέων ὁ Κορίνθιος, ἅπαντα τοῖς Συρακουσίοις καὶ τοῖς Σικελιώταις κατωρθωκώς, ἐτελεύτησε στρατηγήσας ἔτη ὀκτώ.* *)

---

De civitate Syracusanorum constituenda novisque colonis augenda quae egregie meruit Timoleon, eorum plurima brevius tractavit Diodorus (XVI. 70. 82.), copiosius exposuit Plutarchus (c. 22. 23. 24.) multisque adjectis rebus memoratu dignissimis, in quibus tamen unum aegre desideratur, quod Diodorus tradidit de summo magistratu, quem Amphipolum Jovis Olympii nominatum apud Syracusanos instituit Timoleon. **) Dissentire autem inter se videntur Diodorus et Plutarchus de tempore, quo haec a Timoleonte sint administrata. Plutarchum enim si sequimur, colonos Graecos in Siciliam missos remque publicam Syracusanorum a Timoleonte ordinatam esse putandum est eo tempore, quod inter occupatas a Corinthiis Syracusas et alteram Poenorum expeditionem, quae proelio ad Crimessum finita est, medium intercedebat; contra Diodorus primo perhibet novas Timoleontem, simulac tota urbe potitus esset, Syracusanis dedisse leges (XVI, 70); deinde rursus eundem immutasse legum rationem post alterum illud Poenorum bellum; atque eodem demum tempore colonos a Corinthiis Syracusas esse deductos (XVI, 82), in quo Cornelium Nepotem habet assentientem, qui V. Timol. cap. 3, expulso Dionysio, Carthaginiensibus ad Crimissum superatis, capto Mamerco, Timoleontem ait, quum propter diuturnitatem belli non solum regiones, sed etiam urbes desertas videret, conquisivisse, quos posset, primum Siculos, deinde Corintho arcessivisse colonos. At Cornelio ne securi credamus, vel id monet, quod cap. 2 idem Poenos affirmat proelio ad Crimessum facto coactos fuisse, satis habere, si liceret Africam obtinere, qui iam complures annos possessionem Siciliae tenuissent. Sed dissensionem, quae inter Plutarchum est ac Diodorum, ita putet aliquis exstingui posse, ut Plutarchum sta-

*) Patet ex iis, quae supra disputavimus, minus recte nos in tab. chronol. Vitae Timoleontis annexa vulgarem rationem sequutos anno 344 assignavisse Timoleontis adventum in Siciliam, qui verius adscribendus fuerit anno 345.

**) Diod. XVI, 70. *Κατέστησε δὲ καὶ τὴν κατ᾽ ἐνιαυτὸν ἐντιμοτάτην ἀρχήν, ἣν Ἀμφιπολίαν Διὸς Ὀλυμπίου οἱ Συρακούσιοι καλοῦσι. Καὶ ᾑρέθη πρῶτος Ἀμφίπολος Διὸς Ὀλυμπίου Καλλιμένης. Καὶ τὸ λοιπὸν διετέλεσαν οἱ Συρακούσιοι τοὺς ἐνιαυτοὺς ἐπιγράφοντες τούτοις τοῖς ἄρχουσι, μέχρι τῶνδε τῶν ἱστοριῶν γραφομένων, καὶ τῆς κατὰ τὴν πολιτείαν ἀλλαγῆς. Τῶν γὰρ Ῥωμαίων μεταδόντων τοῖς Σικελιώταις τῆς πολιτείας, ἡ τῶν Ἀμφιπόλων ἀρχὴ ἐταπεινώθη διαμείνασα ἔτη πλείω τῶν τριακοσίων.*

tuamus hac in operis sui parte minus de certa temporum ratione sollicitum, quaecunque Timoleon de constituenda Syracusanorum republica fecisset, ea omnia maluisse una enarratione complecti, quam in plures dispergere locos. Sed dissimulari nequit, esse nonnulla, quae in hac quoque parte suspectam reddant Diodori fidem. Nam ad colonos quod attinet Syracusas deductos, eorum quam maxima multitudo ut post urbis expugnationem quam primum mitteretur, curare debuisse Timoleontem, vel ex iis patet causis, quas ipse affert Plutarchus; ab incolis enim paene desertae et vacuae erant Syracusae, inculti jacebant agri (cf. Diod. c. 83), metuendum erat, superato post Poenorum discessum Hiceta et receptis Syracusis, ne novum mox ex Libya ingrueret bellum, quod parare jam Carthaginienses, Magonis ignaviam ultos, fama nuntiaverat, eorumque impetus, acriores haud dubie futuri, ut repelli possent, major quam celerrime parandus erat defensorum numerus. His de causis si colonos verisimile est a Corinthiis priore illo tempore missos esse, non minus illud credibile videtur esse, eodem tempore simul trajecisse, qui rei publicae Syracusanorum instaurandae praeessent, Cephalum et Dionysium (e quibus Dionysium silentio praetermittit Diodorus, Cephalum idem fuisse dicit *ἐπιστάτην καὶ διορθωτὴν τῆς νομοθεσίας, ἄνδρα ἐν παιδείᾳ καὶ συνέσει δεδοξασμένον*). Unde colligere probabiliter liceat ipsum etiam legum ferendarum ac civitatis denuo constituendae negotium non ad illud, quod vult Diodorus, tempus dilatum esse. Quae autem Diodorus cap. 82 refert, post pacem cum Poenis factam liberatasque omnes Graeci nominis in Sicilia civitates Timoleontem per universam Graeciam praeconis voce pronuntiasse, Senatum populumque Syracusanorum agros domosque daturum esse omnibus, qui civitate illa recipi vellent, iis minus probabiliter tribuitur Timoleonti, quod Plutarcho auctore multo prius fecerunt Timoleontis et Syracusanorum precibus permoti Corinthii, quorum et dignitati et pietati maxime conveniebat instaurare hac ratione coloniam a se antiquitus deductam ejusque saluti atque incrementis prospicere. Neque tamen nil dicit Plutarchus de colonis Graecis etiam posteriore illo tempore in Siciliam transvectis; nam cap. 35 refert ille, compositis omnibus bellis ita pacatam fuisse Timoleontis opera Siciliam, ut multae civitates, etiam quae diu incultae jacuissent ac desertae, tum restituerentur ac novis augerentur colonis, in quibus nominat Agrigentum et Gelam. (Cf. Diod. c. 83). Itaque sic videntur ex Plutarchi sententia digerendae esse res illae, ut post Syracusarum expugnationem facta esse putentur, quaecunque ad colonos Syracusas deducendos pertinerent, finitis autem bellis et omni in libertatem restituta insula etiam in reliquas civitates missi existimentur ex Graecia coloni. — Nec de numero eadem plane tradidit uterque scriptor. Diodorus enim primum ait quinque milia Corinthiorum a Timoleonte benevole esse excepta; postea vero tantam ex Graecia convenisse multitudinem, ut quadraginta milia in ea agri Syracusani parte, quae divisa nondum fuisset, decem milia in Agyrinensium agro, qui liberati paulo ante tyranni Apolloniadis imperio civitate Syracusana donati essent, collocarentur colonorum. Plutarchus ad Timoleontem omnino sexaginta milia hominum confluxisse ac sedes in urbe agroque Syracusano accepisse affirmat, ejusque rei auctorem nominat Athanin.

De legibus autem aliis alio tempore scriptis quae habet Diodorus, ea ipsa videntur parum inter se congruere. Priore enim loco c. 70 haec leguntur: *Τιμολέων δὲ παραλαβὼν τὴν νῆσον* (Ortygiam) *καὶ φρούρια τὰ Διονυσίῳ πρότερον ὑπακούοντα, τὰς μὲν κατὰ τῆς νήσου ἀκροπόλεις καὶ τὰ τυραννεῖα κατέσκαψε, τοῖς δὲ φρουρίοις ἀπέδωκε τὴν ἐλευθερίαν. Εὐθὺς δὲ καὶ νομογραφεῖν ἤρξατο, τιθεὶς δημοκρατικοὺς νόμους καὶ τὰ περὶ τῶν ἰδιωτικῶν συμβολαίων δίκαια καὶ τἆλλα πάντα ἀκριβῶς διέταξε, πλείστην φροντίδα τῆς ἰσότητος ποιούμενος* (Ol. CIX, 2). Quibus vel repugnant

ni fallor, magna ex parte, vel saltem minus apta sunt et consentanea, quae Ol. CX, 2. facta esse docentur posteriore loco cap. 82: Εὐθὺς δὲ (post divisos colonis agros Syracusanum et Argyrinensem) καὶ τοὺς προϋπάρχοντας νόμους ἐν ταῖς Συρακούσαις, οὓς συνέγραψε Διοκλῆς διώρθωσε. καὶ τοὺς μὲν περὶ τῶν ἰδιωτικῶν συμβολαίων ἢ κληρονομιῶν εἴασεν ἀμεταθέτους, τοὺς δὲ περὶ τῶν δημοσίων νενομοθετημένους πρὸς τὴν ἰδίαν ὑπόστασιν, ὥς ποτ᾽ ἐδόκει συμφέρειν, διώρθωσεν. Quibuscum conferenda sunt, quae lib. XIII. c. 35. adnotavit hac de re Diodorus: οἱ δ᾽οὖν Συρακούσιοι κατὰ τοὺς νεωτέρους χρόνους κατὰ μὲν Τιμολέοντα νομοθετήσαντος αὐτοῖς Κεφάλου, κατὰ δὲ τὸν Ἱέρωνα τὸν βασιλέα Πολυδώρου, οὐδέτερον αὐτῶν ὠνόμασαν νομοθέτην ἀλλ᾽ ἐξηγητὴν τοῦ νομοθέτου· διὰ τὸ τοὺς νόμους γεγραμμένους ἀρχαίᾳ διαλέκτῳ δοκεῖν εἶναι δυσκατανοήτους.

De bello a Timoleonte ante secundam Poenorum expeditionem gesto nonnulla memoriae prodidit Diodorus, quae ignorat Plutarchus. Narrat enim ille cap. 72, Hicetam post cladem Syracusis acceptam cum exercitu haud parvo confugisse Leontinos, idque oppidum Timoleontem frustra conatum esse expugnare; paulo post, dum Timoleon occupatus esset in oppugnando Engyo oppido, Hicetam aggressum esse Syracusas, indeque, multis militum amissis, Leontinos celeriter se recepisse. Deinde cap. 77, ubi ingentes enumeravit copias, quibus in Siciliam transmissis novum Carthaginienses adversus Timoleontem parabant bellum, breviter commemorat, Timoleontem, bello, quod eo ipso tempore cum Hiceta gerebat, composito, huius milites suis adjungentem magnopere vires suas auxisse. Harum rerum omnium paene nihil legitur apud Plutarchum, qui hoc tantum tradit cap. 24, Hicetam, liberatis Syracusis, a Timoleonte, qui omnia in Sicilia tyrannorum imperia evertere in animo haberet, coactum esse, ut a societate cum Carthaginiensibus inita se seiungeret, atque arces se diruturum et privatam vitam Leontinis acturum promitteret. Jam si quis putet, quae uterque scriptor diversa dixerit, ea ita posse inter se conciliari, ut Plutarchus statuatur nonnulla omisisse, ea autem, quae de Hiceta referat ab Timoleonte in privatam vitam detruso, ad eandem pacem putentur pertinere, quam sub Carthaginiensium adventum inter viros illos factam esse tradit Diodorus, licet non sit, quod ei sententiae magnopere refrager, hoc tamen jure mihi videor affirmare, ea ratione, qua Diodorus dixit, pacem illam fieri vix potuisse. Sunt enim ejus de ista re haec verba: ἔχων δὲ πόλεμον πρὸς Ἱκέταν, διελύσατο πρὸς αὐτὸν, καὶ προσλαβόμενος τοὺς μετ᾽ αὐτοῦ στρατιώτας, οὐ μετρίως ηὔξησε τὴν ἰδίαν δύναμιν. Quae ita, ni fallor, sunt dicta, ut Hicetam appareat vel ipsum ad pacem componendam inclinasse, vel saltem nulla necessitate coactum cum Timoleonte consensisse de bello finiendo. At enimvero quid fingi possit minus veri simile, quam Hicetam, qui quovis tempore infestissimum se Timoleonti praebuisset, tum maluisse bellum componere quam ducere, quum instante Carthaginiensium adventu sperare liceret fore, ut ipse magnopere adjuvaretur, Timoleontis res in extremum adducerentur discrimen? Multo credibilius, quod Plutarchus prodidit, Hicetam bello superatum a Timoleonte coactum fuisse, ut arma poneret. Ita si fuit res gesta, illud quoque fieri potuit, quod Diodorus narrat, ut Hicetae milites in suas a Timoleonte traducerentur partes, quod ita factum esse, ut Hicetas, quamvis prohibere posset, tamen prohibere non voluerit, vix erit, qui sibi persuadeat. — Quae postremo acciderunt Hicetae, ea paucissimis complectitur Diodorus verbis hisce (c. 82): μετὰ δὲ ταῦτα (i. e. post pacem cum Carthaginiensibus factam, cf. Plut. c. 34) τὸν μὲν Ἱκέταν καταπολεμήσας ἔθαψε. Multo uberiora leguntur apud Plutarchum c. 30 — 33, qui tamen

silentio praetermisit, quod Diodorus tradidit cap. 82 extr., Leontinos a Timoleonte in civitatem Syracusanorum transductos esse.

De bello post liberatas Syracusas cum Carthaginiensibus a Timoleonte gesto multa communia habent Diodorus et Plutarchus, quare satis fuerit verbo indicasse, quibus in rebus inter se discrepent.

Diodorus c. 73 paulo accuratius exponit, quae breviter Plutarchus c. 24 percurrit, de expeditionibus a Timoleontis militibus mercenariis in eam Siciliae regionem susceptis, quae sub Carthaginiensium erat ditione; addit praeterea, quod ignorat Plutarchus, potitum Timoleontem esse Entella oppido et quindecim cives, qui maxime faverent Carthaginiensium partibus, capite mulctasse, reliquis libertatem restituisse. — Militum et navium Carthaginiensium Diod. c. 77 eundem fere refert numerum, quem Plutarchus cap. 25, equitum, curruum et bigarum addit ille decem milia. *) — Duces Poenorum Plut. cap. 25 Hasdrubalem et Hamilcarem dicit fuisse, quorum nomina frustra quaeras apud Diodorum. — Animum Syracusanos, de Carthaginiensium adventu certiores factos, prae se tulisse fortem et bellandi cupidum, militumque Syracusanorum et mercenariorum duodecim milia eduxisse Timoleontem, refert Diodorus cap. 78. Contra ea Plutarchus affirmat perterritos maximopere fuisse Syracusanos ex eorumque numero vix tria milia nomen dedisse Timoleonti, mercenariorum in bellum educta esse quatuor milia. — In itinere seditionem ortam in Timoleontis exercitu et mille mercenarios Syracusas reversos esse uterque tradit scriptor, paulo copiosius Diodorus, qui in Agrigentino agro, Thrasio quodam auctore id accidisse testatur, Timoleontem autem, in aliud tempus dilata desertorum poena, aegre caeteris mercenariis retentis, amicos Syracusanos per literas monuisse, ut benigne exciperent seditiosos homines et stipendium debitum, quod in causis fuerat seditionis excitatae, iis persolverent. Thrasium autem quod Diodorus scribit solum fere illo tempore reliquum fuisse ex iis, qui cum Phocensibus templum Delphicum expilassent, in eo non congruit cum Plutarcho, qui plures tradidit (cap. 30) in Timoleontis exercitu fuisse eorum, qui in sceleris illius venerant societatem, quos omnes post pugnam ad Crimissum factam in minoribus proeliis ab hostibus confectos esse commemorat (cap. 30) iure admirans eximiam Timoleontis in hac quoque re felicitatem. — De mulis, apium portantibus, exercitui obviam factis, eadem fere uterque (Diod. cap. 79. Plut. c. 26). De altero, quod sub finem eiusd. cap. scribit Plutarchus accidisse, omine, nil apud Diodorum. — Quae ad ipsam pugnam ad Crimissum commissam attinent, eorum plurima similiter uterque scriptor exponit, nonnulla Plutarchus et accuratius et copiosius quam Diodorus, ex quo ne id quidem discitur, fluvium, ad quem pugnatum est, Crimissum fuisse, quod praeter Plutarchum testatur Cornelius Nepos (cap. 2). Occisos in ea pugna Diodorus refert praeter alia decem milia hominum, duo milia et quingentos ipsorum Carthaginiensium; Plutarcho auctore omnino decem milia sunt interfecta, in quibus tria milia fuerunt Carthaginiensium. Capta Diodorus prodidit quindecim hostium milia, Plutarchus captivorum plurimos a militibus Timoleontis ait clam esse subductos, in communi praeda habita esse quinque milia.

Timoleontem ex ingenti opum captarum copia nil sibi seposuisse, omnia militibus in fortitudinis praemium concessisse Diodorus docet c. 80, quod mirum est, a Plutarcho non esse commemoratum, qui tamen de iis, quae post victoriam illam instituit Timoleon, ita loquitur, ut alienissimum a vili lucrandi cupiditate fuisse eius animum facile unicuique pateat.

Quae Plutarchus tradit cap. 30 de mille mercenariis, a Timoleonte, quia in bello Punico ipsum

*) Polyaen. Strateg. V. 12, 3 quinquaginta milium fuisse dicit exercitum Carthaginiensium.

deseruerant, ex urbe eiectis et postea a Bruttiis in Italia perfide trucidatis, eadem paulo copiosius Diodorus, c. 82, adiiciens, urbem Bruttiae maritimam ab hominibus istis occupatam esse ac direptam, quare iratos Bruttios arma sumsisse et oppido expugnato istos omnes sagittis contrucidasse. Qua quidem ex narratione non apparet, quomodo mercenarios παρασπονδηθέντας interiisse affirmare potuerit Plutarchus. — Eodem loco (c. 82) Diodorus, id quod ignorat Plutarchus, Timoleontem praedicat restituisse navigandi securitatem; quippe Postumium Tyrrhenum, qui duodecim navibus praedatoriis mare tum infestum navigantibus redderet, quum Syracusas amici nomine appulisset, comprehensum ab illo esse et supplicio affectum.

Longe autem a Plutarcho discedit Diodorus in exponendis iis rebus, quae insecutae sunt Poenorum ad Crimessum cladem. Refert enim (XVI, 81. 82), qui ex pugna evasissent Carthaginienses, aegre se Lilybaeum recepisse tantoque fuisse pavore consternatos, ut naves conscendere et in Africam redire non auderent, quippe quibus metuendum esset, ne Deorum ira, quam experti modo essent, mari absorberentur. Deinde cladis nuntio Carthaginem perlato, tantum civibus injectum esse terrorem, ut ipsum Timoleontem putarent mox cum exercitu in Africam traiecturum urbemque aggressurum esse; proptera Gesconem, Hannonis filium, qui fortitudine et arte militari excellere videretur, de exsilio revocatum exercitui praeposuisse, ac ne civium corpora belli discrimini permitterent, mercenarios, Graecos maxime, conduxisse; simul legatos misisse in Siciliam, qui, quibuscunque possent conditionibus, pacem cum Timoleonte componerent; insequenti anno multis eorum precibus permotum Timoleontem pacem illis dedisse iis conditionibus, quas Plutarchus quoque tradit, una insuper adiecta, qua liceret volentibus ex ea Siciliae parte, quae Carthaginiensium pareret imperio, cum facultatibus et liberis Syracusas transmigrare. — De his plurima aliter Plutarchus (c. 30. 34), cui si credimus, Gesco, auctoribus Hiceta et Mamerco tyrannis, septuaginta navibus exercitum in Siciliam transmisit et Timoleontis auxiliarios duobus oppressit proeliis; deinde, quum in pugna, qua Mamercus victus est a Timoleonte, eae quoque periissent copiae, quas Gesco tyranno miserat auxilio, pax facta. — Veritatem rerum in his Plutarchum neglexisse vix quisquam arbitretur, qui reputarit secum, ipsa enarrandi diligentia accurataque singularum rerum commemoratione defendi et firmari auctoris fidem, tum in rebus traditis nil plane inesse, quod a veri similitudine abhorreat, immo multo probabilius esse, Carthaginienses, nuntio de clade suorum accepto, novum in Siciliam misisse exercitum, qui et insulae regiones suo imperio subiectas tueretur, et hostes ab traiectu in Africam prohiberet, quam metu impulsos fuisse tam immodico, ut nihil aliud agendum sibi censerent, nisi ut urbem suam exercitu coacto firmarent adversus hostes, qui num mare traiecturi essent, incertissimum erat et ne credibile quidem.

In posterioribus uti Hicetae extremam fortunam paucissimis Diodorus attingit verbis, ita ignorat idem, quae de Mamerci ultimis conatibus atque exitio tradidit Plutarchus c. 34. Contra, quae Diodorus c. 82 narrat, victos a Timoleonte Campanos, qui Aetnam oppidum tenerent, et Nicodemum, Centoripinorum tyrannum, ex oppido pulsum, et Apolloniadem, Agyrinensium principem, coactum esse, ut tyrannide se abdicaret, ea ita complectitur Plutarchus, ut omnes omnino Siciliae civitates, quae illo tempore a tyrannis oppressae tenerentur, a Timoleonte dicat in libertatem esse vindicatas.

Oculis Timoleontem in senectute captum esse, silentio praeterit Diodorus, de morte illius et sepultura, ac de solennibus in eius honorem institutis brevius quidem exponit (c. 90), quam Plutarchus, sed ita tamen, ut in maximis rebus cum eo consentiat.

Jam ad finem perducta rerum ab utroque scriptore de Timoleonte traditarum comparatione, haec, ni fallor, cuivis lectori videbuntur satis vere affirmari: leviora nonnulla, quorumque minor esset ad ipsius Timoleontis illustrandos mores ac virtutes, tradidit Diodorus a Plutarcho omissa, nonnulla idem copiosius et accuratius tractavit, quam Plutarchus; at in longe plurimis et praestantissimis partibus Plutarchus ita superavit Diodorum narrandi ubertate et diligentia, rerumque expositarum et copia et probabilitate, ut, si Plutarchi libro non exstante, ex solo Diodoro omnis haurienda esset Timoleontis notitia, rerum illarum multas plane ignoraremus, aliarum vel obscuram, vel etiam a veritate aberrantem haberemus scientiam.

---

# EPIMETRUM.

Recentiores scriptores varie exposuerunt de Timoleontis rebus, prout Diodoro illi plus tribuendum putarunt, aut Plutarchum maluere ducem sequi, aut ex utroque, quae probabilia sibi viderentur esse, sumta miscuerunt atque ad verisimilitudinis legem quandam disposuerunt. Ex his unum nunc nomino Fr. Chr. Schlosserum, qui in libro egregio Universalhistorische Uebersicht der Geschichte der alten Welt und ihrer Cultur I., 3. pag. 27—38 paulo fusius quam alii plerique hanc rerum Syracusanarum explicavit partem. Ille vir quia tantum pollet et doctrinae copia ac subtilitate, et ingenii miro acumine, ut in principibus huius aetatis jure habeatur disciplinae historicae auctoribus, et quaecunque doceat, etiamsi non consentias, tamen prius sint multum consideranda ac diu perpendenda, quam minus vere exposita esse credere audeas, operae pretium facturus esse mihi videor, si paulo accuratius exploravero, quae de Timoleonte rebusque ab eo gestis tradenda ille et pro veris habenda censuit, utrum probari possint necne. Nam Schlosserus quum omnino existimat Plutarchum rerum veritati nonnunquam eo nocuisse, quod perfectae virtutis studuerit proponere exempla ac factorum incredibilium miraculis obstupefacere interdum maluerit lectorum animos, quam sobria rerum gestarum imbuere scientia, tum Timoleonti quoque multa putat eundem tribuisse, quae ficta potius esse videantur immodico laudandi studio, quam incorrupto iudicio tradita. *) Itaque quanquam in nonnullis Plutarcho arbitratur plus habendum esse fidei, in aliis tamen iisque et multis et non exiguis rebus Diodorum statuit veriora prodidisse. Unde eam ipse de Timoleontis rebus conflavit atque effecit narrationem, quae nec Plutarchum refert integrum nec Diodorum, ipsisque rebus, ni magnopere fallimur, discrepantiam quandam induxit fidei plus detrahentem firmamenti, quam addentem. Sed iam videamus de singulis.

Caedem Timophanis viginti annis ante quam Syracusani Corinthiorum implorarunt auxilium, perpetratam esse, Plutarcho credit Schlosserus; reliqua, quae de facinore illo et Cornelius Nepos tradidit et copiosius Plutarchus, ea mente censet conficta esse, ut ultra solitum humanae virtutis modum eveheretur Timoleon, sed ita ficta, ut, si penitius inspiciantur, officiant potius, quam prosint viri laudibus celebrati existimationi, atque etiam ridiculum exhibeant hominem, qui postquam fratrem obtruncandum comitibus permisisset, ipse oculos chlamydis lacinia tegens adstiterit lacrimas fundens. — In his Schlossero me nullo modo posse consentire ingenue fateor. Fingendi enim studium ac falsa

*) Praeter eum locum, quem supra laudavimus, cf. eiusdem libri III, 2. pag. 188—191.

venditandi ita nullum existimo fuisse in Plutarcho, ut, quantum in ipso esset, verissima quaeque eum et colligere et lectoribus tradere voluisse pro certissimo habeam. Quod si cui dubium est, legat ille locum egregium in Cimonis vita cap. 2, quo praeclare docet scriptor, quales ipse sibi scripserit de excellentium virorum et virtutibus laudandis et vitiis non dissimulandis leges. Qui locus tantum facit momenti ad recte iudicandum de Plutarchi humanitate veritatisque amore, ut si per spatii huic disputatiunculae concessi liceret angustias, totum huc transscriberem. Istis autem, quae l. l. explicantur, sententiis qui in vitis praeclarorum hominum enarrandis se duci professus est, eum quis credat unquam consulto a narrandi fide deflexisse ac fictis posthabuisse vera?

At possit aliquis in eam induci suspicionem, ut putet, consulto quidem falsa in rerum historiam non intulisse Plutarchum, sed animo fuisse exemplorum laudabilium ita amante, ut insolitae virtutis ubi proponeretur species, mirum in modum delectatus et ipse facile crederet, quae veritatis modum excederent, et lectoribus utilissima putans fore ad virtutis studium excitandum minus considerate scriptis mandaret. Ita fieri potuisse, ut quum de Timophanis caede alios videret tradere ea, quae nunc apud Diodorum leguntur, alios ab illis discrepantia, haec ille sequi propterea maluerit, quia etsi minus essent vera, tamen plus haberent admirationis Timoleontemque ostenderent non solum patriae ita amantem, ut a fratre libertatis oppressae poenam sumeret, sed etiam in facinore atrocissimo perficiendo pietatis simul erga fratrem tamen retinentem. Quae etsi paulo aequior, quam Schlosseri, videtur esse opinio, tamen me non movet, ut, quae Plutarchus tradidit, falsa putem esse, nisi in se ipsa habent, quod fidem imminuat atque a veri similitudine abhorreat. At tale nihil inest in narratione Plutarchi, neque quisquam, de caede Timophanis quaecunque ille memoriae prodidit, ea negabit p o t u i s s e ita fieri, uti facta a scriptore referuntur. Quid est igitur, quod id unum anxie verentes, ne nimio decore ornentur res singulari ac paene inaudito conamine gestae, ea velimus dubia et suspecta esse, quae per se ipsa spectata dubitationis vel suspicionis nullam praebent causam? Nonne hac ratione si utamur, periculum est, ne fugientes nimias laudes atque aversantes quaecunque validius tangant hominum animos, in diversum incidamus vitium, ut debita gloria spoliemus facta praestantia atque ea ex rerum memoria deleamus rariorum virtutum documenta, quibus maxime posterorum animi et dignitatis vere humanae impleantur reverentia et ad honestissima quaeque et sentienda et agenda incitentur? Quod vero Schlosserus ea, quae Plutarchus et Corn. Nepos de Timophanis caede praedicarunt, Timoleontis famae plus officere dicit, quam prodesse, id quorsum pertineat, me fateor non intelligere. Timoleon enim, sive, id quod Diodorus memoriae prodidit, in foro ipse percussit Timophanem, sive, uti Plutarchus perhibet, in ipsius domo comitibus suis permisit occidendum, fratris caedem utriusque scriptoris consensu arguitur effecisse. Hoc vero intercedit discriminis, quod, Diodoro si credimus, saeviore erat ille ingenio atque ira humanitatis sensu non temperata, Plutarchum si auctorem sequimur, animum habebat in flagrantissimo patriae libertatisque studio pietatis erga fratrem non oblitum. Neque satis integra Plutarchi dicta reddidit Schlosserus, sic eum loquentem faciens: „Er missbraucht das Vertrauen, welches der Bruder, der in einer Oligarchie durch eine Leibwache zur herrschenden Person ward, in seine nahen Anverwandten und in den Seher der Gottheit setzt, um in das Innerste seiner Zimmer einzudringen. Er, der Bruder von Timophanes Gemahlin, und der Zeichendeuter werden eingelassen etc.“ In his quaecunque invidiam conflare possunt Timoleonti, ab Schlossero sunt invidiose dicta, non leguntur apud Plutarchum. Et quis credat, vel Timoleonti non patuisse ad fratrem aditum, qui patuerit aliis hominibus, cognatione non magis illi coniunctis, vel, si Timoleontem arcendum esse statuisset Timophanes, aditum illi duobus assumtis

comitibus patefactum esse? Nonne multo est credibilius, propterea Timoleontem secum adduxisse Aeschylum atque Orthagoram sive Satyrum, ut haberet, qui et in cohortando fratre se iuvarent et, si precibus nil proficerent, facinus perpetrarent, quo suas ipse nollet cruentari manus?

Syracusis quum rursus potitus esset Dionysius, civium alii ad Hicetam confugerunt Leontinis tum dominantem, alii in urbe remanentes inviti paruerunt tyranno. Deinde quum duobus annis post Carthaginienses pararent bellum eam insulae partem, quam nondum oppressam tenebant, subacturi, Syracusani legatos miserunt, qui a Corinthiis peterent auxilium. De his igitur sic exponit Schl.: „Dies bewog endlich die wenigen in der Stadt zurückgebliebenen angesehenen Bürger*), in Verbindung mit andern Siciliern, an welche sich anfangs sogar Iketas heuchlerisch anschloss, aus Korinth einen Friedensstifter zu erbitten, den auch der Tyrann, ohne sich die Feindseligkeit der Korinther und Spartaner zuzuziehen, nicht wohl verschmähen durfte.“ Haec si vere dicta sunt, Syracusani rogarunt Corinthios, ut virum mitterent, qui paciscendo res turbatas componeret, et conditionibus propositis persuaderet Dionysio, ut tyrannidem sponte exueret. At non hoc rogatos fuisse Corinthios, res ipsa manifesto docet; nam bellum pararunt illi, classem miserunt atque exercitum, suppeditaruntque, quae ad bellum gerendum usui essent. Neque Syracusani sperabant, Dionysium, nisi vi cogeretur, ad deponendum imperium permotum iri, neque armis ac proeliis pacem et libertatem quaerendam esse ignorabant. Plutarcho certius atque accuratius haec referenti plus fidei deberi, quam Diodoro, demonstravimus Prolegom. II. pag. 3 sq.

Neque magis rei ab antiquis scriptoribus traditae consentanea sunt, quae subiunxit Schl.: „Die Korinther ergriffen die dargebotene Gelegenheit mit Freuden, um einen Familienzwist, der in ihrem eignen Staat entstanden war, rühmlich zu enden. Sie wählten nämlich Timoleon, einen enthusiastischen Freund der Freiheit, um ihn mit Ehren zu entfernen, und ihm Gelegenheit zu verschaffen, die Achtung seiner Familie und aller Edl[illegible] unter seinen Mitbürgern, die er durch den Mord seines Bruders verloren hatte, durch die Befreiung von Sicilien wieder zu gewinnen.“ His enim, quae res levior ad praecipuum Corinthiorum consilium accessit, ea ipsa dicitur praecipui consilil fuisse. Patet enim ex iis, quae uterque scriptor memoriae prodidit, id maxime spectasse Corinthios, ut coloniae extremis malis laboranti succurrerent. Quod consilium postquam ceperunt, tum demum quaerebatur dux, qui praeficeretur negotio. Recordatio autem fratris occisi, quid ad Timoleontem eligendum valuerit, explicavi Proleg. II, p. 7. Tantam rem publice suscepisse Corinthios eam ob causam, ut privata componeretur discordia in civitate sua oborta, nullo modo credibile, praesertim si viginti ante annis Timophanes occisus fuit. Praeterea quid de Timophanis caede iudicarint ac senserint Corinthii, non satis sincere videtur Schl. retulisse; matrem quidem Timoleontis Plutarchus et Cornelius testantur nunquam ignovisse filii interfectori; at civium Plutarchus et Diodorus auctores sunt varias fuisse de eadem re sententias, aliis laudantibus (Plut. 5, 1. οἱ μὲν κράτιστοι ἐπῄνουν τὴν μισοπονηρίαν καὶ μεγαλοψυχίαν τοῦ Τιμολέοντος), aliis vituperantibus; utque verissimum est, nunc si quis tale facinus patrare ausus esset, uno eum omnes, qui quidem saperent, consensu damnaturos esse ac detestaturos, ita antiquae civitatis ingenio negari nequit consentaneum fuisse, ut optimus quisque

*) Plutarchus scripsit οἱ Σικελιῶται; nimirum propterea maluit nomine latius patente uti, quia legatos miserunt non tam, qui Syracusis tum vivebant sub imperio Dionysii, quam optimates (οἱ βέλτιστοι καὶ γνωριμώτατοι) qui inde ad Hicetam profugerant.

patriaeque amantissimus maxima laude atque admiratione dignum haberet virum, qui pro publica salute ne fratris quidem pepercisset vitae.

Quae de rebus in Sicilia post Timoleontis adventum usque ad Dionysii deditionem gestis narrat Schl., neque Plutarchi nituntur neque Diodori auctoritate, sed nova plane ratione sunt comparata ac digesta. Primum enim Timoleontem dicit, Hicetae copias persequentem, Syracusas irrupisse, in re quidem ipsa indicanda Diodori premens vestigia, at de tempore ab eo discedens. Diodorum enim si audimus, Timoleon victo ad Adranum Hiceta statim Syracusas contendit, Schlosseri mentem si recte assequimur, inter utramque rem aliquantum temporis intercessit. Praeterea hic post proelium Adranitanum antequam Syracusas occuparet Timoleon, Tyndaritas ait se ad illius amicitiam applicavisse, quam rem Diodorus non prius commemorat, quam Timoleontem narravit Syracusarum parte potitum esse. Ex eo tempore Schlosserus urbem censet ita divisam fuisse, ut Dionysius insulam obtineret, Hicetas Achradinam, Timoleon reliquas urbis partes, Diodorum sequutus, praeterquam quod hic Neapolim quoque praeter Achradinam tribuit Hicetae. His ita expositis Schl. res a Plutarcho copiose probabilique ordine relatas iis omnibus implicat difficultatibus, quas Diodori rationi obstare docuimus Proleg. II. p. 10 sq. Deinde Schl.: „Iketas verband sich jetzt inniger mit den Karthagern und versprach ihre Truppen in die Stadt einzulassen.“ Haec paulo aliter Diodorus, qui postquam exposuit de urbe inter Timoleontem, Hicetam, Dionysium divisa, continuo adiungit, Carthaginienses CL navibus portum tenuisse, et quinquaginta milibus copiarum pedestrium castra posuisse, castrorum tamen locum non indicans, quem locum extra urbem fuisse ex iis, quae ipse antea explicavit, sponte apparet. In his paulo propius ad Plutarchum accedit Schl.; ille enim Hicetam ait, ubi Timoleontis vires cognovisset dynastarum civitatumque multarum foedere auctas, quo promtius sibi esset atque utilius Poenorum auxilium, eos arcessivisse. Sed longe alium in rerum serie locum huic rei assignavit Plutarchus, qui post Mamercum Catinensem societate Timoleonti iunctum, post Dionysium deditum in captivitatem, post arcem Syracusarum a Corinthiis occupatam tandem illud factum esse affirmat, neque solum pollicitum esse Hicetam urbe se recepturum esse Poenos, sed revera Carthaginienses ab Hiceta arcessitos portum classe occupasse et sexaginta milibus exercitus pedestris urbem ingressos esse, quo tempore primum Syracusas venisse in barbarorum manus. — Adiungit Schl.: „Darüber erschracken die Besitzer der verschiedenen Raubburgen, und unter ihnen Mamercus von Katana, weil Alle Karthago mehr fürchteten als Korinth. Diese kleinen Dynasten erklärten sich daher für Timoleon.“ Haec ad exemplum fere Diodori sunt dicta; hic enim scriptor Mamerci societate cum Timoleonte iuncti non prius facit mentionem, quam Poenos ab Hiceta Syracusas adductos fuisse commemoravit, hoc tamen non adiiciens, terrorem hac re iniectum causam fuisse Mamerco societatis illius petendae. Secundum Plutarchum Mamercus, antequam Poeni Syracusas venerunt, Hicetae clade ad Adranum accepta permotus est, ut foedus cum Timoleonte faceret. —

Schl.: „Und selbst Dionysius war edel genug, sein Reich nicht auf den Trümmern seines Vaterlandes bauen zu wollen, oder mit andern Worten, er wollte die Syrakuser lieber frei, als von Fremden beherrscht sehen, und capitulirte mit Timoleon.“ Itaque hoc tempore deditionem a Dionysio factam esse sumens Schlosserus neque Plutarcho consentit, qui post proelium Adranitanum, neque Diodoro, qui post Hicetam altera pugna superatum ac Syracusis expulsum factam esse tradidit. Quum igitur Schl. ipse iudicarit, falsum fuisse Diodorum, qui in remotius tempus rem maximam reiiceret, quumque dissensio ista cum Plutarcho, qua Diodoro obsequutus Timoleontem affirmat post pugnam Adranitanam statim Syracusarum parte potitum esse, non modo nihil conferat ad rerum probabilitatem

augendam, sed etiam difficultates eas omnes inferat, de quibus disseruimus Proleg. II. pag. 13 sq., iure videmur quaerere, quid permoverit virum doctissimum, ut in parte aliqua a Plutarcho discedere mallet, quam integra reddere atque incorrupta, quae tradita sunt ab eodem omnibus partibus aptissime connexa atque egregie inter se congruentia? Quo autem modo effectum sit, ut Syracusarum arcem traderet Dionysius Timoleonti, quaeque deditionis fuerit ratio ac conditio, neque ex Diodori omnino, neque ex Plutarchi auctoritate retulit Schlosserus, ita tamen, ut a Diodoro propius absit, quam a Plutarcho. Nam Plutarcho teste sua sponte Dionysius Timoleonti, prius quam ad Syracusas accessisset, pollicitus est, arcem se dediturum, deinde misso in arcem Corinthiorum praesidio cum arce tradidit quaecunque illic asservabantur ad belli usum, postremo ipse cum paucis familiaribus et, quod ex Plutarchi dicto χρήματα λαβὼν ἐξέπλευσεν videtur elucere, cum parte tantum facultatum suarum abiit in castra Timoleontis. Diodoro auctore Timoleon, quum reliquis urbis partibus potitus esset, Dionysio tutum fore in Peloponnesum iter publica fide praestans et privatarum opum integram spondens possessionem persuasit, ut arcem sibi dederet. Schlosserus: „Freier Abzug, der Besitz seiner eigenen Schätze, und ruhiges Leben in Korinth ward ihm zugesichert, es geht aber deutlich aus dem Zusammenhange hervor, was freilich die wenigen Schriftsteller, die wir über diese Geschichten übrig haben, von ihrem Helden und seinen Republikanern nicht eingestehen wollen, dass die Capitulation schlecht gehalten ward. Plutarch selbst deutet übrigens den armseligen Aufzug an, in welchem Dionysius nach Korinth gebracht wurde, und giebt zu verstehen, dass er gleich dort von Anfang ohne allen Glanz und sogar ohne Würde lebte.“ At tempus, quo haec omnia facta sint, si non vere indicavit Diodorus, quanquam ad eventuum ordinem ac rationem explanandam maxime illud erat necessarium, non video, cur de ceteris rebus plus ei, quam Plutarcho, tribuendum sit fidei. Nam hoc unum possit aliquis Diodori firmaturus rationem obiicere, credibilius esse, Dionysium, quum totam urbem in Timoleontis videret esse potestate, ut tyrannide se abdicaret permotum esse, quam, priusquam Timoleon ad urbem accederet, sponte id facere decrevisse. Nec vero minus apte licebit respondere, Dionysium eo iam tempore, quo Plutarchus eum perhibet deditionem meditatum esse, in summas adductum fuisse angustias, atque intellexisse haud dubie, sive Hicetas cum Poenis superavisset Corinthios, sive illos vicisset Timoleon, nullo pacto suam sibi servatum iri dominationem. Multo autem gravius atque acerbius illi debebat esse in Hicetae, quam in Timoleontis venire ditionem; Hicetas enim ob veteres inimicitias potentiaeque aemulationem invisus, quum, nulla impellente causa legitima, malorum, quibus premebatur Dionysius, magna ex parte auctor esset, tunc eum et proelio devicerat, et obsidens arcem ad dedendi se necessitatem paene adegerat. Illum igitur quis non credat tanto odio fuisse Dionysio, ut nulli minus hic putandus sit concessurus fuisse victoriae gloriam et fructum? Deinde Corinthiis si se dedidisset, multo melius sperare licebat Dionysio secum actum iri, quam si Hicetae sese permisisset iniquitati. Accedebat quod Timoleon Corintho, potentissima civitate graeca, Syracusarum parente, ad rempublicam in libertatem vindicandam missus, virtutis, prudentiae, felicitatis praeclara iam victo ad Adranum Hiceta dederat documenta. Quae omnia erant eiusmodi, ut non possent Dionysium non exhortari, ut Timoleontis mallet se committere fidei. Id vero si mox atque ultro fecisset, multo sibi utilius fore intelligebat, quam si cunctatus videretur invitus tandem cedere necessitati. Atqui sponte ac sua voluntate si in Timoleontis potestatem se tradidit Dionysius, saltem necesse non est putemus, aequiores ei a Timoleonte datas esse conditiones; neque probandum videtur esse, si quis propter id unum, quod Diodorus affirmat Dionysio integras opes privatas a Timoleonte promissas esse, Plutarchi vel adeo Timoleontis ipsius vituperationem ex eo

trahat, quod hic perhibet scriptor, Dionysium narrans una navi et cum exiguis facultatibus traiecisse in Peloponnesum. Id quod Schlosserum fecisse patet ex iis, quae supra ex eius libro transscripsimus non sine nova quadam Dionysii laude dicta. Et profecto rerum olim gestarum investigatori nil poterit vel praestantius vel gratius contingere, quam ut veritatis lucem afferens rebus vel mendaciis atque erroribus, vel vetustate obscuratis hominum simul illustrium ingenia ab antiqua liberet invidia, ac meliora fuisse demonstret, quam fuisse vulgo credantur; sed Dionysium tyrannum adversus communem antiquitatis consensum tuens Schlosserus vereor ne minus firmis nisus fuerit argumentis; quae vero cum Corinthiorum criminatione loquitur de violatis pacis conditionibus, etiamsi pro veris habere cogeremur, saltem Plutarchi fidem non possent ita suspectam reddere, ut eum fallaci quodam ductum studio alia prodidisse putaremus, alia consulto dissimulasse.

Pergit Schl.: „Timoleon ward von Iketas und den Karthagern hart bedrängt.“ Haec neque apud Diodorum leguntur, neque apud Plutarchum, qui si vera tradidit, ne potuit quidem Timoleon ab Hiceta et Carthaginiensibus graviter urgeri, quod ipse tum procul Syracusis aberat, Poeni vero et Hicetas copias suas in urbe continebant. Deinde quae Schl. narrat, Corinthios, qui arci praesidio erant, in summa fuisse frumenti inopia, sed Catana furtim interdum subvectos esse commeatus, ea ex Plutarchi desumsit libro, neque vero ex eodem addidit, propter hanc ipsam causam conatos esse Poenos occupare Catanam, quo priusquam pervenissent, nuntio Achradinae a Neone Corinthio, praesidii praefecto, repentina irruptione captae perterritos rediisse Syracusas. Quae continuo adiecit: „doch war wenig Aussicht, Syrakus zu befreien, wenn gleich die Korinthier **2000** M. frisches Fufsvolk und **200** Reiter sendeten,“ haec probabiliter essent dicta, si in omnibus sequutus esset Plutarchum, quo auctore Timoleon tum praeter arcem nil tenebat reliquae urbis; at si, quod Schl. paulo ante secundum Diodorum asseveravit, magna urbis pars iam tum in Timoleontis erat potestate, profecto non est quod opinemur, tam exiguam fuisse Timoleonti spem liberandae urbis, praesertim quum subsidia haud contemnenda submisissent Corinthii.

Schl.: „Zum Glück vertraute der Karthagische Feldherr seinem Freunde fast noch weniger als seinem Feinde, und verdarb durch übertriebene Aengstlichkeit seine eigenen Angelegenheiten. Da er nämlich den freundschaftlichen Verkehr der Truppen des Iketas mit den Syrakusern gewahrte, so glaubte er sich, mitten im Griechischen Lande, rundum von Verrath und offner Gewalt umgeben, und sein Heer war dem Griechischen, sobald er sich auf Iketas nicht verlassen konnte, keineswegs gewachsen; er zog sich daher plötzlich in den Karthagischen Theil der Insel zurück.“ In his minus recte cum Syracusanis dicuntur milites Hicetae mercenarii sermones vulgo contulisse, quibus perterritum Magonem timuisse ne proditione circumveniretur. Nam conveniebant inter se per proeliorum intervalla et confabulabantur qui in Hicetae exercitu erant mercenarii Graeci cum iis, qui apud Corinthios stipendia merebant. Neque vero haec sola causa permovit Magonem, ut Syracusis exiret, sed maxime, quod Corinthiorum vires post adventum subsidiorum magnopere erant auctae. Ceterum quae Diodorus ac Plutarchus dixere de numero Poenorum si non nimis multum sunt a veritate distantia, ne dicam vera, animo potius quam copiis Magonem putandum erit inferiorem fuisse hostibus. Illud haud dubito quin rectius Diodorus eique assentiens Schlosserus prodiderit, in eam Siciliae partem, quae in Poenorum ditione erat, se recepisse Magonem, quam Plutarchum, qui in Libyam eum reversum esse parum verisimiliter perhibuit.

Schl.: „Nach seinem Abzuge ward die Befreiung von Syrakus dem Timoleon durch die Ankunft der längst aus Korinth abgesendeten Hülfstruppen, durch die Einnahme des Stadttheils Achradina,

den der Korinthische Befehlshaber vorher überfallen und befestigt hatte, durch die Theilnahme der Messenier an dem Kriege mit Iketas sehr erleichtert.“ Non satis manifestum est, utrum ante discessum Magonis Achradinam a Corinthiis occupatam esse putet Schl., an post eiusdem discessum; posteriorem eius esse sententiam ex iis colligas, quae modo ex eius libro transscripsimus. Secundum ea, quae dilucide ac distincte explicat Plutarchus, et Corinthiorum subsidia advenere et capta fuit Achradina priusquam abiere Carthaginienses. Deinde Schl. iis rebus, quas commemoravit, affirmat Timoleontem in liberanda Syracusanorum urbe magnopere adiutum fuisse. Post discessum autem Poenorum ut Syracusae liberarentur, nil supererat perficiendum, nisi ut Hicetae eriperentur eae, quas etiamtunc tenebat, urbis partes. Hic vero maxime intelligitur, quantae fraudi Schlossero fuerit dissensio cum Plutarcho. Quum enim antea cum Diodoro tradiderit, post pugnam Adranitanam Dionysium obtinuisse arcem atque insulam, Hicetam Achradinam, Timoleontem reliquas urbis partes, deinde narraverit arcem cum insula Timoleonti esse deditam, Achradina potitos esse Corinthios ex arce impetu facto, his si credimus, iam tota urbs in Timoleontis erat potestate, neque ulla eius restabat pars, quae occupanda esset, in quave occupanda ullo iuvandus esset subsidio. Unde patet, contraria inter se esse, quae diversis locis refert Schlosserus; quae quidem discrepantia nulla esset, nisi immerita Plutarchi contemtione boni scriptoris auctoritatem spernendam ac deserendam esse censuisset. Proelium magnum, quo victus Hicetas Syracusis eiectus est, silentio praetermisit Schl., brevitatis studio, an quod sentiret, eius commemorationem suae reliquarum rerum enarrationi apte applicari non posse. Id certissimum est, quae Plutarchus de illis rebus copiose enarravit egregie sibi omnia constare neque quidquam habere, quod non probabiliter videatur dictum esse.

Schl.: „Unmittelbar nach der Einnahme der Burg liefs sie Timoleon, um jedes Andenken der Tyrannei zu vertilgen, von Grund aus schleifen, und erklärte den Syrakusern, dass er gesonnen sey, eine völlige Demokratie einzurichten, und die Erneuerung und Verbesserung ihrer alten Gesetze und Einrichtungen durch die Korinther vorschlagen zu lassen.“ Haec rursus iis, quae antea retulit Schl., parum convenienter sunt dicta. Arx enim Timoleonti prius tradita est, quam Carthaginienses discesserunt. Quis autem est, qui credat, de diruenda arce deque re publica constituenda cogitasse Timoleontem, antequam totam in sua potestate haberet urbem? Fortasse in errorem Schl. inductus est verbis Plutarchi, cap. 22, qua sunt Γενόμενος δὲ τῆς ἄκρας κύριος κ. τ. λ., de cuius loci explicatione vide quae exposuimus in Comment. pag. 436 sq. De auctarum colonis Graecis Syracusarum tempore modoque Diodoro consentit Schl., non Plutarcho, cuius ratio quibus firmetur argumentis supra indicavimus. Item de iis rebus, quae ante pugnam ad Crimessum factam inter Timoleontem intervenerunt et Hicetam, ad Diodorum Schl. magis se applicat, quam ad Plutarchum. De his quoque supra disseruimus. Ceterum quod Schl. affirmat, relata a Plutarcho de Hiceta aliisque tyrannis, si comparentur cum Diodoro, clare atque evidenter ostendere, quanta arte Plutarchus solitus fuerit, etsi mendaciorum coargui non possit, sic tamen enarrare res gestas, ut suas potius referret de rebus gestis conceptas animo opinones, quam ipsam rerum veritatem, hoc quo pertineat, non intelligo. Nusquam enim apparet, propterea Hicetae aliisve tyrannis obtrectasse Plutarchum vel debita ulla eos spoliasse laude, ut maiore gloria ornaret Timoleontem; nec Diodorus quidem de Hiceta quidquam memoriae prodidit, quod vel melius nos iubeat existimare de tyranno, minus bene de Timoleonte, vel omnino rerum tum gestarum aliam, atque a Plutarcho videmus expressam, praebeat imaginem. — De numero copiarum, quae proelio dimicarunt ad Crimessum, discrepant quidem inter se Plutarchus et Diodorus, neque vero aeque iudicasse puto Schlosserum hanc quoque discrepantiam Plutarcho ita

crimini vertentem, ut consulto eum insimulet et auxisse omnia et imminuisse, prout laudandi Timoleontis consilium flagitaret. Primum enim non quinque milibus militum, id quod Schl. opinatur, Plutarchus dicit Timoleontem superasse ingentem exercitum Poenorum. Nam secundum ea, quae nunc leguntur apud Plutarchum, Timoleon urbe profectus est cum tribus milibus civium, quatuor milibus mercenariorum, ex quibus postquam mille fere in itinere deseruere ducem, sex milia militum proelio interfuerunt. Quanquam fatendum est, numeros a Plutarcho relatos non congruere computationi quam idem scriptor narrat ab mercenariis seditiosis initam esse; hos enim ait ille insaniae arguisse Timoleontem, quod septuaginta Poenorum milia aggredi auderet quinque milibus peditum, mille equitibus; atqui huius exercitus pars illi ipsi erant, qui seditiose tum agebant; ergo horum discessu imminuto exercitu non sex, sed quinque milia militum potuerunt proelium inire. Quare mendosi aliquid puto in hoc loco esse, quo numerorum consensus fuerit turbatus. Sed haec utcunque habent, id facile concedimus, Plutarchum, ab iis auctoribus, quos in hac vita scribenda sequutus est, deceptum *), iusto minorem fecisse Syracusanorum exercitum, maiores Poenorum copias. Quis enim nesciat, quanta in talibus scriptorum antiquorum fuerit levitas, et quantopere cavendum sit, ne vel suarum copiarum exiguitatem vel hostium immensam multitudinem ambitiose praedicantibus temere credamus. Sed uti Schl. ipse egregie nonnulla monuit, quibus Poenorum ab hostibus longe paucioribus victorum clades minus mira videretur esse atque incredibilis, ita equidem nego, si quid falsi de ista re a Plutarcho fuerit proditum, id ipsum scriptorem pravo inductum Timoleontis laudibus evehendi studio ementitum esse, vel iis, quae Diodorus tradidit iisdem de rebus, effici, ut in hoc scriptore maior quam in Plutarcho fuisse putanda sit veritatis diligentia. Neque enim solum Syracusanis, sed etiam Carthaginiensibus plus virium tribuit Diodorus, quippe qui cum Timoleonte duodecim milia prodiderit fuisse militum, Poenorum autem septuaginta milibus addiderit decem milia equitum ac bigarum, de quibus nihil invenias a Plutarcho dictum. Itaque apud Diodorum quoque Poeni tantum superant multitudine Syracusanos, ut, si severi iudicis agere velis partes, eiusdem fere culpae uterque damnandus sit scriptor. Praeterea hoc quoque argumento licebit Plutarchi defensori uti, quod in pugna Adranitana Hicetae quidem parem uterque scriptor tribuit militum numerum, at Timoleontis Diodorus dicit mille fuisse milites, Plutarchus mille ducentos, unde, si quis tanti facere velit eiusmodi indicia, sententiam possit de Plutarcho ducere ei, quam Schlosserus fert, plane contrariam.

Reliqua de Timoleonte breviter exponit Schl. atque ita, ut iam non sit quod diutius in comparandis auctoribus immoremur.

Unum hac disputatione conati sumus efficere, ut appareat, iis omnibus locis, quibus Plutarchum posthabendum censuit Schlosserus Diodoro, non fuisse illum posthabendum, et quae ex Plutarchi et Diodori libris de Timoleontis rebus commixta vulgavit idem vir doctissimus, ea propter iniquam Plutarchi contemtionem neque ipsa inter se satis apte connexa esse, neque cum iis si conferantur, quae Plutarchus memoriae prodidit, maiorem habere a probabilitate verique similitudine commendationem.

---

*) Huc quae pertineant nonnulla congeremus in disputationem de huius Vitae fontibus.